

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.


QUÆSTIO MEDICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis tertiâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. JOANNE-JACOBO MESSENCE, Doctore Medico, Præside.

An in morborum Therapeiâ habenda est ratio Epidemiæ grassantis?

I.



EPIDEMICI morbi sunt ii qui ex communi causâ oriundi plures, simul, in eodem loco aggrediuntur. Nullum est morbi genus luctuosius: nam jure affirmaveris plures eâ peste quàm cæteris omnibus morbis è medio tolli homines: nullum curatu difficilius, deficiente sæpius medico optimo duce experientiâ, deficientibus libris quos consulat: nullum denique morbi genus Epidemiis latius diffusum, nullum frequentius ingruit. Etenim ne unus quidem effluit annus in cujus curriculo morbum epidemicum saltem unum quivis non nominet & plures non indicet medicus sagax & exercitatus *, qui vel apertè sæviunt, vel occultè suam indolem aliis morbis impertiuntur; quod quidem accuratissimâ sedulitate investigandum est Medico laudis & felicem successuum cupido. Non ignoramus

* Baillou, Sydenham, Gerbesius, Winteringham, Huxham, &c.

* Authore M. Le Begue De Presle, 1759.

plurimos Medicos & imprimis recentiores ubique gloriari ſe morbum quemlibet citò & tutò ſanare poſſe, nullâ Epidemiarum ratione habitâ. Contra illos contendimus morborum cognitionem eſſe ſæpiùs dubiam abſque Epidemiæ graſſantis prævià notitiâ, & in illorum Therapeiâ illius Epidemiæ rationem eſſe habendam.

II

IN pleriſque morbis *indicationes* curativæ certæ deſumuntur ex obſervatione exquiſitâ ſymptomatum; quibus *indicationibus* ſi Medicus ſatisfaciat, medicamentorum idoneorum ope, brevì felici eventu gaudet: ſed Medicina dogmatica quæ has *indicationes* eliciendi methodum optimam nos docet, eaſdem regulas ad dignoſcendos & curandos morbos tradit, dum graſſantur Epidemiæ quælibet. Illas verò ſi tunc temporis ſequeremur, in gravibus & funeſtis erroribus quotidie verſaremur; ſæpiſſimè enim, quæ magis indicata nobis videtur curatio ad morbum præſentem debellandum, Epidemico affectu furente, contraindicatur; ita ut, ſi illam adhibeas, morbus citò exaſperatur. Morbi *intercurrentes* qui Epidemiis accedunt, illâ medendi methodo tractandi ſunt quæ variis Epidemiis medetur, ſed paululùm accommodatâ ad morbi intercurrentis accidentia. In quibuſdam annis morbi Epidemici plures ſimul ſæviunt, ſed unus eorum prædominio potitur. Tunc famam ſibi, & arti honorem ille ſolus conciliabit quæ ſedulò dignoſcere poterit quod ſymptoma in variis morbis intercurrentibus, quæque Epidemia ſibi vindicat; & an huic vel illi ſymptomati medendum ſit. Sed non ſemper debacchatur Epidemia omnibus facilè dignoſcenda; ſæpiùs ſerpit occulta, non niſi à cautiſſimis deprehenſa, ſuamque omnibus ferè aliis morbis indolem impertitur, vel ab initio vel alio tempore morbi. Sæpe etiam, concurrente cum Epidemiâ morbo primario, morbus exſurgit cujus indolem non facilè ſecernas. Denique morbi complures ex quibus alias nullum imminet periculum Epidemiâ ſæviente qualibet, perciuloſiores evadunt. Non alia eſt inveſtiganda ratio cur, dùm graſſantur Epidemiæ, morbi cujuſvis generis cum ſucceſſu tam infelici tractentur à Medico in illarum cognitione & curatione rudi. Quæ dicta ſunt confirmabuntur obſervationibus.

III.

DUM morbis cujusvis generis & imprimis variolæ Epidemicè furunt, eas quovis symptomate & sub variorum morborum specie invadere, quotie videre est. Qui tunc symptomata vel morbum mentitum curare suscipit, naturam perturbat operantem. Advertit Sydenham febres pleuritidis symptomatibus stipatas, pleuriticis remediis exacerbari, & multùm diversâ methodo sanari, quam Epidemia catarrhalis tunc temporis sæviens *indicabat*. Deprehendit præterea, uno & altero post graviorem pestem anno, febres omnes indolem tedolere pestilentialem, pestisque medelam solam sibi vindicare. Febres variolosæ, depuratoriæ, morbilli, dysenteriæ per plures annos grassari observatæ fuerunt. Tunc illarum indolem induebant morbi *intercurrentes*; quibus ut mederetur Epidemiæ ratio erat habenda. Hoc anno ineunte Epidemia catarrhalis, & morbillosa * in his regionibus, cum plerisque morbis tum acutis tum chronicis complicabatur vel commiscebatur; quam si in curatione instituendâ, animo præsentem non habuisset Medicus, scopum vix attigisset. Sævientibus febribus intermittentibus, affectus plurimi varii generis qui periodicè redeunt, intermittentium specifico remedio feliciter curantur. Ex his sequitur morbo Epidemico sævienti seriò & semper attendendum esse, & in omni ferè morbo medendi methodum Epidemiæ peculiarem adhibendam esse quæ tantummodò ad morbi intercurrentis speciem leviter flectatur.

* Ex. Cons. Mss. D. B... vart, D. M...

IV

CONCLUDERE igitur jubent experientia & ratio, absque Epidemiarum cognitione perfectâ, incertam esse morborum multorum curationem: perfecta requiritur cognitio quæ complectatur Epidemiarum magis frequentium, & imprimis earum quæ actu grassantur vel grassari solitæ sunt, causas, diagnosim, prognosim, & curationem: noscat Medicus morborum complicationes, symptomatum contraindicationes, quæ in Epidemiis variis sæpiùs observantur: noscat morbos qui eis superveniunt, aut in quas illæ mutantur: calleat præcipuè invadendi modum cujusque Epidemiæ proprium, certasque illas distinctionis notas, quas singulis speciebus morbi, naturam impressisse, sagax detexit Sydenham. Si talis Medicus accersatur ad

ægros febre laborantes, & morbus quivis Epidemicus graſſetur, certus brevî fiet de genuinâ morbi indole ſuæ curæ permiſſi, primaque morbi tempora utiliter împendere ille ſolus noſcet. Hâc ornati doctrinâ Hippocrates, Baillou, ſydenham, Gerbeſius dum viverent floruêre, feliciſſimique practici habiti ſunt.

V.

SED objiciet forſan aliquis qui tantùm in inſtitutionibus medicis exercitatus, tantùm in p axi rudis eſt, ſunt certa principia quæ ad omnes omninò morbos pertinent, & ex quibus hoc vel illud ſymptoma & phœnomenon hoc vel illud remedium flagitat, unde concluditur certam eſſe morborum omnium curationem, abſque præviâ Epidemiarum cognitione Illud equidem de plurimis morbis verè jactatur aliquando; affirmari nihilominus poteſt & debet, morbos pleroſque huic axiomati non ſubjacere, dum ſæviunt Epidemiæ, te'le ſcilicet repetitâ obſervatione, teſtibus exemplis in corollario tertio allatis. Noſtram ſententiam, ni fallimur, & exemplis adſtruximus, & iis argumentis inſtruximus quibus aſſentietur quiſquis anticipatis opinionibus non fuerit præoccupatus. Maneat hoc igitur inconcuſſum ſævientibus Epidemiis ſingulos morbos earum naturæ nunc magis nunc minùs contractæ non immeritò eſſe ſuſpectos, dubiamque illorum eſſe curationem, niſi Epidemico affectui & morbo cuilibet accedenti ſimul medeatur.

Ergò in morborum Therapeiâ habenda eſt ratio Epidemiæ graſſantis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Bapt. Michael BUCQUET.	*M. Joannes-Auguſtinus* COUTAVOZ.	*M. Laurentius* FERRET, *Eccleſiæ Cameracenſis Canonicus.*
M. Ambroſius-Auguſtus BELANGER.	*M. Dominicus-Joannes-Baptiſta* DE LA BICHE.	*M. Joannes-Jacobus* BELLETESTE, *Antiquus Facultatis Decanus.*
M. Franciſcus-Maria LE MOINE.	*M. Joannes-Baptiſta-Eugenia* DUMANGIN.	*M. Michael-Philippus* BOUVART, *Regii ordinis Eques, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS-ANTONIUS CAILLE, Sequanus, Doctor Medicus Biſuntinenſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1772.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1772.